



9329

1782, 26.

DE
CERERE LEGIFERA

AD ORATIONEM
MVNERIS PROFESSORII ADEVNDI
CAVSA

D. VII. SEPT. A. R. S. MDCCCLXXXII
RECITANDAM ET AVDIENDAM
HUMANISSIME INVITAT

ID. AVG. CORNEL. STOCKMANN



LIPSIAE
EX OFFICINA IACOBAEERORVM



ALBERTUS

ALBERTUS

ALBERTUS



ALBERTUS

ALBERTUS



CALLIMACH. hymn. in Apoll. v. 2.

ἔνας, ἔνας, ὅσις ἀλίτρος!



ereri Atticae praeter sacra illa Eleusinia, quae, quanto cultu, qua taciturnitate, quibus caerimoniis peracta sint, etiamsi non exposuerit peculiari libello IO. MEVRSIUS ^{a)} et qui e nostratibus docte pro iis disputavit IO. AVG. BACHIVS ^{b)}, veteris Graeciae Latique scriptores vno ore omnes tradunt, fuerunt alia, quae Thesmophorium nomine insigniuntur, diversa ea quidem, tamen, nisi maioris, certe haud minoris nominis ac dignitatis ab omni antiquitate consecrata et in omnibus fere Graeciae ciuitatibus, at solemniori cum pompa, sanctioribus ritibus, puriori religione, maiori castimonia vix vsquam celebrata, quam Athenis. Quemadmodum enim in Eleusiniis potissimum hoc agebatur, vt coleretur Ceres in rapta Proserpina quaerenda errans ob frugum inuentionem et agri colendi artem cum mortalibus, qui abdit in tectis filuestribus ac pellibus ferinis induti glandibus vesci iam deserant, communicatam: ita Thesmophoria, cum ab eadem illa Cerere suum quisque agrum conferendum, suam quisque legem seruandam diceretur accepisse, in huius legislationis memoriam quotannis summa

A 2

cum

a) In Eleusiniis, L. B. 1619. 4. et Gronou. thes. antiq. graec. Vol. VII. p. 118. insert.

b) Pro mysteriis Eleusiniis, Lips. 1745. 4. inf. eius opuscul. ad historiam et iurisprudentiam spectantibus, a Klotzio editis Hal. 1767. 8. p. 1. sq.

IV

cum festiuitate celebrandam ac renouandam sunt instituta. De eorum auctore, quisquis fuerit, cum ea de re non conueniant auctores veteres, nihil attinet dicere. Originem debeantur haec sacra seu Triptolemo, regi Atheniensium, vti LVTATIVS c) tradit, seu Danaï filiiabus, a quibus ex Aegypto ad Pelasgicas feminas allata esse HERODOTVS d) refert, seu, quod magis ad veritatis speciem quandam accedere videtur, instituta primum sint ab Orpheo, quod e Demosthene, Diodoro Siculo et Plutarcho testatur THEODORETUS e), quicquid cuique maxime arrideat, inuenta primum sunt ab Aegyptiis, et ab his, vti cum omni fere deorum cultu comparatum est, in Graeciam postea transmissa. Quod vt mihi persuasum habeam, facit inprimis consensus scriptorum veterum, qui tradunt, non frugum solum, sed et legum inuentricem fuisse Isisdem. Vt taceam multa alia huius rei testimonia, auctoritate vtar vnus DIODORI SICVLI f) ita scribentis: *Θεῖναι δὲ Φασὶ καὶ νόμους τὴν Ἰσὴν, καθ' ὅς ἀλλήλους διδόναι τοὺς ἀνθρώπους τὸ δίκαιον, καὶ τοῦ ἀθέσμου βίας καὶ ὑβρείως πάυσασθαι. διὰ τὸν ἀπὸ τῆς τιμωρίας φόβον. διὸ καὶ τοὺς παλαιούς Ἕλληνας τὴν Δήμητραν Θεσμοφόρον ὀνομάζουσιν, ὡς τῶν νόμων πρῶτον ὑφ' αὐτῆς τεθειμένων.* Pansis interiectis g) pergit: *τὴν αὐτὴν γὰρ — de Iside locutus erat — οἱ μὲν Ἰσὴν, οἱ δὲ Δήμητραν, οἱ δὲ Θεσμοφόρον, οἱ δὲ σελήνην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ πάσαις ταῖς προσηγορίαις ὀνομάζουσι.* Et si dicendum, quod res est, Aegyptiorum Isis Graecorum Ceres fuit. Innuuit hoc DIODORVS SICVLVS alio loco: h) *Ἀργύπτιοι μὲν γὰρ λέγουσι, τὴν τε Δήμητραν καὶ τὴν Ἰσὴν τὴν αὐτὴν εἶναι, καὶ εἰς Ἀργυπτον*

c) Ad Thebaid. I. II.

d) Lib. II.

e) Therapeut. I. I.

f) Bibl. hist. I. I. p. m. 13.

g) ibid. p. 21.

h) Lib. V. p. 336.

τον ἐνεργεῖν πρῶτην τὸ σπέρμα — λέγουσι δὲ τινες, ὅτι καὶ νόμους εἰσηγήσατο, καθ' ὅς ἀλλήλοις τὸ δίκαιον διδοῖται συνειθισθῆσαν ἄνθρωποι, καὶ τὴν παραδοῦσα αὐτοῖς θεὰν ἀπὸ τούτων θεσμοφόρον προσηγόρευσαν. Praeterea hanc sententiam confirmat similitudo, quae intercedit Cereris sacra inter et Iliaca, quorum ad exemplum Graeci sua instituerunt in honorem vel Siculae Cereris, vel Aegyptiae Isidos, quae et ipsa tum frumenti rationem docuisse, tum leges de agrorum discretione ob annuam Nili inundationem tulisse dicitur. Apud Athenienses autem prima Ceres mortalibus praeter frumenti subigendi rationem vitae normam praescripisse, et ad sanctiones, quibus iustitiam colere discerent, rogandas animum applicasse fertur, unde legum originem ipsi iure quodam suo vindicaverunt. Vtrumque coniunxit CALLIMACHVS ¹⁾ in eius laudes his verbis excurrens:

Κάλλιον, ὡς πολίεσσιν ἑαδῶτα τέθριμα δῶκε.

Κάλλιον, ὡς καλὰ μιν τε καὶ ἱερὰ δεύματα πρᾶτα

Ἄσυχρον ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἦκε πατῆσαι,

Ἄνικα Τρηντόλεμος ἀγαθὰν ἐδιδάσκετο τέχνην.

Primis legibus fanciendis agriculturam imprimis occasionem praebuisse, res ipsa loquitur. Nam cum, inuentis frumenti seminibus, antiquissimi homines omnia communia haberent et rei agrariae operam navarent: nihil poterat cogitari magis necessarium, nihil praestantius, nihil denique ad societatem ineundam ac stabiliendam firmitus aut efficacius, quam ut legibus tenerentur, quibus certae ad conferendum agrorum portiones assignatae essent, adiectis deinde sanctionibus aliis de regendis finibus, de testamentis, de emtionibus. Quibus legibus promulgatis quo maiorem conciliarent honorem ac sanctitatem, sapienti consilio excogitarunt veteres, originem earum

¹⁾ In hymno in Cererem v. 19. sqq.

plane diuinam ab ipsa, cui victum et vitae initia debebant, dea arcessendam esse. Hanc superstitionem deinde, hoc consilium in vniuersum secuti antiquorum populorum legislatores maxime praecipuum fidei ac societatis conseruandae vinculum religionem esse duxerunt et callide atque astute in deorum immortalium penetralibus suas se leges accipere simularunt. Ita nympham Eurydiceam Orpheus, Iouem Minos, Lycurgus Apollinem, Mineruam Zaleucus, deam Egeriam Numa, alii alios legum propositarum auctores iactitarunt, quorum maiestatem ac diuinam in consiliis inueniendis sapientiam imperitis, vt erant tempora, populis facili negotio persuadebant. Vnde antiquissimis oracula temporibus, non de futuris, sed de iure consulta fuisse eleganter demonstratum fuit a CAR. FERD. HOMMELIO, ^{k)} Neque aliam ob causam mihi quidem videtur Demosthenes legem appellauisse *ἑνεργητικὴ καὶ δῶρον θεῶν* apud MARCIANVM ICTVM, ^{l)} quicquid alii contra philosophentur. Certe CICERO ^{m)} de legis vi et natura disputaturus *hanc*, inquit, *video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenii excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum: sed aeternum quiddam, quod vniuersum mundum reget imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei. Ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata: est enim ratio mensque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea. — Orta simul lex est cum mente diuina: quamobrem lex vera atque princeps, apta ad iubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Iouis.* Quae Ciceroni iuris originem hoc loco tradituro profecta esse dicitur lex a summi Iouis ratione,

k) Diss. de Apolline iuris perito,
Lipf. 1748. p. 22. sq.

l) l. 2. D. de legg.
m) Lib. II. de legg. c. 4.

ratione, cui sola terrarum parent, cui reliqui coelites obediunt, et cuius solam mentem et rationem legem esse contenderunt Stoici; ea alias et ipsi Ciceroni, et Plotarcho, aliisque est et natura, vniuersi gubernatrix, et deus, rerum omnium auctor. Naturam, ipso Tullio interprete, antiquis fuisse matrem, parentem communem, rerumque omnium opificem, recte animaduertit, qui omnia veterum scriptorum testimonia, quae ad hanc rem stabiliendam ac confirmandam faciunt, diligenti studio congescit et prolixè excussit, GERH. IO. VOSSIVS. ⁿ⁾ Quid? quod ipsa haec natura eadem fuisse videtur cum Cerere, quae, arte agri colendi tradita, hominibus leges praescripsit, quibus latis, et agris diuisis, suam quisque partem defendere ac muniret. Hoc profecto precatus est CALLIMACHVS: ^{o)}

Φέρε δ' ἀγρόφι νόσιμα πάντα,
 Φέρε βόας, Φέρε μάλα. Φέρε τάρχυν, ὅσε θερισμόν.
 Φέρε καὶ εἰράναν, ἢ ὅς ἀροσε, κείνος ἀμάση.
 Ἰλαδί μοι τρίλιζε, μέγα κρείουσα θεῶων.]

Neque aliter ORPHEVS in Cereris thymiamate ^{p)}

Ἐλθέ μάκαιρ', ἀγνή, καρποῖς βριθεσσα θερείοις
 Εἰρήνην κατάγουσα καὶ εὐνομίην ἐρατεινήν,
 Καὶ πλετον πολύολβον, ὅμῃ δ' ὀγίειαν ἀνασσαῖν

Sed ne limites excedere videatur oratio, obseruandum venit, quod placuerit ipsis Romanis, peregrinae religioni alias iniuicissimis, ea legum ferendarum origo, mutuata, vti fere omnia alia, e Graecorum traditionibus. Quae enim apud CICERONEM ^{q)} reperiuntur vetustissima

ⁿ⁾ In libro, *de origine et progressu idololatriae* inter Opp. Amst. 1700. II. T. fol. reuuso,

^{o)} In hymno in Cererem v. 136.

^{p)} v. 18.

^{q)} De legg. I, II, c. 9.

VIII

vetustissima legum XII. tabularum verba: NOCTVRNA MVLI-
RVM SACRIFICIA NE SVNTO, PRAETER OLLA, QVAE
PRO POPVLO RITE FIANI: NEVE QVEM INITIANTO, NI-
SI VT ADSOLET CERERI, GRAECO SACRO; ea hinc tan-
tum prae caeteris solennitati summam religionem et singularem pie-
tatis rationem tribuunt. Confirmatur etiam ex VARRONE ^{r)} et
nos, inquit, *decemviros graeco ritu sacra, non romano facere, vt
alios mittam.* Multo post latas XII. tabularum leges, limpidi-
mos illos vniuersi iuris fontes, iisdem adhuc solennitatibus ac riti-
bus, quibus Graeci quondam solebant, Cereris sacra celebrata esse
reperimus, adeo cara et iucunda ipsis erat huius rei recordatio. CI-
CERO ^{s)} quidem hoc tradit, *teque Ceres, precatus, et Libera, quarum
sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque
occultissimis caeremoniis continentur: a quibus initia vitae atque victus,
legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus et ciuita-
tibus data ac dispersita esse dicuntur.* Et alibi: ^{t)} *adsunt Athenien-
ses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, at-
que in omnes terras distributae putantur.* Sic et ab Atheniensibus ini-
tia frugum et legum in vniuersos homines manasse scribit LVCRE-
TIUS: ^{u)}

*Primae frugiferos foetus mortalibus aegris
Dididerunt quondam praecelaro nomine Athenae,
Et recreauerunt vitam, legesque rogarunt.*

De Cerere autem CALVVS, ^{x)} antiquus poeta, canit:

Et

r) De ling. lat. l. VI. p. m. 79.

s) Orat. in Verr. V. c. 72.

t) Orat. pro Flacco. c. 26.

u) Lib. VI. v. 1.

x) In fragm. vet. poet.

*Et leges docuit sanctas, et cara iugavit
Corpora coniugis, et magnas condidit urbes.*

Pari ratione OVIDIUS 1) Cereris in homines collata beneficia commemorat his versibus:

*Prima Ceres vincto glebam dimouit aratro,
Prima dedit fruges, alimenta que mitia terris,
Prima dedit leges. Cereris sumus omnia plena.*

Nec silentio praetereundus est VIRGILIUS, 2) qui disertis verbis inuentae ab ipsa legumlationis mentionem facit, adiecto vocabulo huic rei proprio:

machant lectas de more bidentes

Legiferae Cereri.

Frustra contendunt, qui codicum nonnullorum antiquorum, Romani, Medicei, aliorumque auctoritate fulti loco *legiferae* vocem *frugiferae* poneré malunt. Recte enim Graecorum Ceres *Θεσμοφορέα* a Latinis appellata fuit *legifera*. Rationem profert SERVIUS ad illum locum hanc: *leges Cereris dicitur inuenisse: nam et sacra ipsius Thesmophoria, id est, legum latio vocantur.* Sed hoc ideo fingitur, quia ante inuentum framentum a Cerere, passim homines sine lege vagabantur: quae feritas interrupta est inuento vsu frumentorum, postquam ex agrorum diuisione nata sunt iura. Thesmophoria autem vocatur legumlatio: an quia in aede Cereris aere incilae positae leges fuerunt? Duplicem igitur huius cognominis causam facit, vnam legumlationem ipsam, custodiam earum alteram: nec desunt certa huius rei vestigia adhuc temporibus Caesarum. Inualuit enim recentiori aetate, vt, quemadmodum leges olim in aede Cereris custodiendae

1) Metam. lib. V. v. 341.

2) Aen. lib. IV. v. 57.

diendae et conferuandae erant, ita nulla factorum SCtorum vis, nulla obligatio esset, nisi repositis iis in aerario, quod in eius locum venerat. Is fuit fons, ea origo legumlationis, quam, ut postremum huius rei testimonium addam, eandem memoriae prodidit PLINIVS ^{a)} verbis: eadem (Ceres) prima leges dedit, ut alii putant, Rhodamantus. Quibus rebus factum est, ut non solum a PLUTARCHO ^{b)} Ceres appellata sit Δημήτηρ Θεσμοφόρος, sed et idem nomen occurrat apud alios, PAVSANIAM ^{c)} inprimis haec enarrantem: ἔστι δὲ καὶ Δημήτηρος ἱερὸν Θεσμοφόρον· κατιούσι δὲ ἐν τεύθειν, Καλλιπόλιδος μνημῆά ἐστιν Ἀλκιάδος παιδός.

In tanti igitur Iulius beneficii a Cerere profecti memoriam ab antiquissimis statim temporibus primi mortales sacra instituerunt, quae Thesmophoria nuncupata ac tanto splendore, tantaque dignitate celebrata sunt, quanta vix alia vlla. At primum quidem sciendum est, ad sacra haec peragenda electas esse, quae praesentent, in singulis populis, faeminas aut virgines binas, legitimo matrimonio procreatas ac veste candida indutas a solis mulieribus honestis et ingenuis. Cognoscimus hoc ex ISAEO: ^{d)} οὐ τοίνυν ἐκ τούτων ἄλλαν ἔστι μόνον, ὅτι ἦν ἡμῶν ἡ μήτηρ Θυγάτηρ γυνὴσία Κίρωνος, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἧν ὁ πατήρ ἡμῶν ἐπραξέ, καὶ ἐξ ἧν καὶ αἱ γυναῖκες αἱ τῶν δημοτῶν περὶ αὐτῆς ἐγίνασκον. ὅτε γὰρ ὁ πατήρ αὐτὴν ἐλάμβανε, γάμους εἰσάσσε, καὶ ἐκάλεσε τρεῖς αὐτοῦ φίλους μετὰ τῶν αὐτοῦ προσηκόντων, καὶ τοῖς Φεάτορσι γαμηλίαν εἰσήνεγκε, κατὰ τοὺς ἐπιθῶν νόμους. αἱ τὲ γυναῖκες ἐκ τῶν δημοτῶν μετὰ ταῦτα πρέκειναν αὐτὴν μετὰ

a) Hist. Nat. I. VII. c. 57.

b) Libr. adv Colotem.

c) Lib. I. Attic. p. 79.

d) Orat. super Cironis hereditate in orator. graec. Reiskianis Vol. VII p. 207.

μετὰ τῆς Διοκλέους γυναικὸς τοῦ Πιπθέως, ἀρχὴν εἰς τὰ Θεσμοφορία, καὶ ποιεῖν τὰ νομιζόμενα μετ' ἐκείνης. Ascenderunt nimirum Eleusina, ubi haec festa eodem modo, quo Eleusinia, celebrare solebant, ac libros quosdam legales in memoriam acceptarium a dea legum capiti impositos circumtulerunt. Luculenter hoc apparet e THEOCRITI Scholiaste: ^{ε)} νόμος ἦν Ἀθηναίοις, κατ' ἔτος τελεῖν τὰ Θεσμοφόρια, καὶ παρθένοι γυναῖκες καὶ τὴν βίον σεμναί, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελετῆς τὰς νομιμὰς βίβλους καὶ ἱεράς, ὑπὲρ τῶν πορνεῶν αὐτῶν ἀντιθέσαν, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύεσθαι ἐπέρχοντο εἰς Ἐλευσίνα. Sociae iis fuerunt virgines quaedam, quae sacris ministrarent, in summa castitate publice alitae in loco, qui dicitur Θεσμοφορεῖον. Habuerunt praeterea sacerdotem proprium εσφανοφορον dictum, quia, dum munus peragebat, coronam in capite gestavit, et quem mystae convenientes statuerunt. Extat enim inscriptio vetus in lapide togatam sustinente statuam apud GRUTERVM ^{ζ)} hunc in modum concepta:

Η. ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΜΥΣΤΩΝ. ΤΗΣ. ΜΕΓΑΛΗΣ
ΘΕΑΣ. ΘΕΣΜΟΦΟΡΟΥ. ΔΗΜΗΤΡΟΣ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΝ
ΕΡΜΟΙΕΝΟΥΣ. ΤΟΥ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΜΑΤΡΩΝ
ΣΥΜΜΑΡΤΥΡΑΣ. ΤΟΝ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ.

Ad Thesmophoria solae mulieres admissae, viris abesse iussis. Unde ab illis Mnesilochus, quod habitum mentitus in arcana sacrorum irrepisset, ad supplicium deponitur apud ARISTOPHANEM ^{ζ)}. Canunt enim:

Ἦμετ' εὐφρονες, ἱεροί,
Πόντικαι ἄλσος ἐς ὑμέτερον,

B 2

Οὐ

ε) Ad Idyll. IV. v. 25.

ζ) Thef. Infer. p. 1097.

ζ) In Θεσμοφοριαζούσῃς v. 1159.

Οὐ δὴ ἀνδράσω οὐ
Θεμιτὸν εἰσοράν
Ὅργια σεμνὰ θεαῖν.

Et paulo post:

σὺ δ' ἀπόστηθί μοι,
Ἴνα μὴ παύουσης ὦν ἀνῆς.

Ex ipsis faeminis, cum aditus solum pateret liberis et ingenuis, arcebantur omnes, quae seruilis conditionis erant. Apud eundem ARISTOPHANEM subinouetur ab hera ancilla h):

σὺ δ' ἔ' ἀπιδ' ὧ θεῶντα ἐν ποδῶν
Δύλοις γὰρ οὐκ ἔξες ἀκούειν τῶν λόγων.

Ad haec sacra obeunda non ieiunio solum se praepararunt, sed et a rebus Venercis prorsus abstinerunt, cuius rei causa praeter multos alios solum excitabo ΟΥΝΙΔΙΥΜ i) ita canentem:

*Festa piae Cerevis celebrabant annua matres
Illa, quibus niuea velatae corpora veste
Primitias frugum dant spinea ferta suarum:
Perque nouem noctes Venerem tacitusque viriles
In vetitis numerant.*

Quam castitatem ac pudicitiam quo magis incorruptam serua-
rent sibi que redderent faciliorem, vsae sunt mulieres omnibus iis,
quae vim habent libidinis expellendae. Ita in lecto non solum cneo-
rum, fruticem, conyzam, viticem ac pinus folia sibi substrauerunt,
sed et castitatis studio allia ederunt. Certe PLINIUS k) non mul-
tum,

h) Ibid. v. 262.

i) Metam. lib. X. v. 431.

k) H. N. l. XXIV. c. 9, add. DIO.

SCORIDES I. I. c. 135 GALENVS
I. VI. p. 148. AELLIANVS hist. ani-
mal, l. IX. c. 26.

tum, inquit, a salice vitilium vsu vitex distat, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset. Graeci λόγον vocant, alii ἄγρον; quoniam matronae Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes his foliis cubitus sibi sternunt. Facta tali praeparatione triduum fere infumebatur in omnibus rite ordinandis ad festi celebritatem. Undecimo Pyanepsionis die Eleusina petebant, vbi solemnitas facta, vnde is dies sacer dictus est ἄνοδος. Decimo quarto die initium factum solennitatis, quae ad decimum septimum duravit. Decimus sextus vocatus est νηρεία, h. e. ieiunium, quia eo die humi iacentes ieiunabant in signum demissi animi. His ritibus obseruatis, his solemnibus factis, preces fuderunt ad Cererem et Calligeniam. Huc faciunt verba ARISTOPHANIS, 1) apud quem mulieres affatur praeco:

Ἐυχέσθε τᾶν Θεσμοφόρων
 Τῇ Δήμητρι καὶ τῇ Κόρηι,
 Καὶ τᾶ Πλάτῳ, καὶ τῇ Καλλιγενείᾳ.

In deae honorem moris etiam fuit captiuos e carcere dimittere, teste SOPATRO, ^{m)} νόμος, τοὺς δεσμώτας τοῖς Θεσμοφορίοις λύσθαι ὑποπτεύσας τις ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ γυναίκί, τὸν οἰκέτην ἔδρασε καὶ δῆσας ἀπεδήμυσεν. ἐπιστάντων τῶν Θεσμοφορέων, ἔλυσε τὸν οἰκέτην ἢ γυνῆ. Vehementer incertum est, quot dies huic solennitati dicati fuerint, cum diuersum eorum numerum auctores ponant. Obseruo, carmina elegiaca eam in rem composita ac decapitata fuisse a faeminis, praeposita in initio syllaba vna, altera in medio inserta. MARIUS VICTORINVS ⁿ⁾ Grammaticus de iis haec

B 3

refert:

1) In Thesmoph.

m) De diuis. quaeft.

n) Lib. IV. artis gram. in Heliae Putschii antiquis gramm. lat. auct. Hannover. 1605. 4. editis. p. 2592.

refert: *item e duobus dactylis et semipede repetiti faciunt Elegiacum, adiecta in prima syllaba una et in medio altera inserta, quod Thesmophorion vocatur, ut*

O perpetuo tellus quae nunc viget vsta gelu.

Nolo iam plura commentari de sacrificiis aliisque rebus, quae in hac festiuitate apud auctores veteres occurrunt; neque etiam commemorare, quam varie variis a gentibus haec sacra celebrata sint, cum propositum esset, de iis solum Thesmophoriis differere, quae apud Athenienses obtinuerunt. Satis iam occupata fuit ista prouincia ab iis, qui integros de Graecorum diebus festis commentarios composuerunt, IO. MEVRSIO in primis, o) IO. FASOLDO P) PETRO CASTELLANO q) ac IO. POTTERO r) ad quos, ne aliorum scriinia expilasse videar, harum rerum cupidos, qui plura scire desiderant, ablegandos esse existimo. Hoc vnum addidisse sufficiat, quod Iupiter ipse cognominatus sit *Θεσμοφορος*. Scribit enim STEPHANVS, apud Drymian urbem templum vetustissimum fuisse *διὸς Θεσμοφορος*. Sine dubio eam ob rem ipsi hoc nomen datum fuit, quia Iouem veteres fingebant esse parentem omnium rerum, ipsius etiam naturae, quam in Cerere venerati sunt, adeoque et legum, quae ipsi seruandae inseruirent, conditorem. Caeterum haec sacra Thesmophoria haud minori silentio velabantur, quam Eleusinia, vnde Herodotus de iis se loqui posse negat, nisi quatenus religio patitur, Aristophanis autem *Θεσμοφορίων ἰσθὰ ἀπόρρητα* nominare haud dubitauit. Eodem etiam tempore, quo Eleusinia, nimirum nocturno

o) In leñt, Att. L. B. 1617. 4. p. 210. sq. magis adhuc in eius Graecia feriat, inf. Gronouii thes. Vol. VII.

p) De festis Graecor. ibid.

q) De iisdem, ibid.

r) In Archaeologia gr. Oxon, 1702.

f.

nocturno peracta sunt. Magna enim, auctore Aristophane, ardentium taedarum multitudine opus erat. Atque his ipsis solemnitatibus ac ritibus, quos Thesmophoria communes habent cum Eleusiniis, efficitur, vt, cum plerisque innotuerint tantum Eleusinia, non semper discrimen ab eruditis obseruatum sit. Eleusinia enim saepenumero licentia obseoenissima, at Thesmophoria summa cum ueneratione a matronis longe castissimis ac grauissimis celebrata sunt. Erat igitur ARNOBIUS §) et quotquot cum ipso faciunt, *vultis enim, inquit, consideremus mysteria et illa diuina, quae Thesmophoria uocantur a Graecis, quibus gente ab Attica sancta illi peruigilia consecrata sunt et Pannychia.* Haec enim sunt ea sacra, quae, auctore Cicerone, populus Romanus a Graecis ascita et accepta, tanta religione et publice et priuatim tuitus est, non vt ab aliis eo allata, sed vt caeteris hinc tradita esse viderentur: haec sunt ea sacra, quae propter singularem, qua alia aliorum deorum festa praestabant, excellentiam, solo mysteriorum nomine ornabantur: haec sunt ea sacra, quorum arcanis initiatus et sanctitate imbutus Horatius

vetabat, qui Cereris sacrum

Vulgarat arcanae:

haec sunt ea sacra, quibus nihil maius, nihil praestantius, nihil ad virtutem colendam efficacius, nihil ad vitam corrigendam fortius habebat antiquitas: haec sunt ea sacra, quibus libenter se iniciandos sistingebant philosophi, reges, imperatores, et, vt vno verbo complectar, summorum virorum sapientissimus quisque. Ita Augustus, teste SERTONIO †), Athenis initiatus, cum postea Romae pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticae Cereris cognosceret et quaedam secretiora proponerentur, dimisso consilio, et corona circumstantium, solus audiit disceptantes. Ita M. Antoninus philosophus Ipp. refe-

rente

§) Libr. V. adv. gentes.

†) In vita. c. 27.

rente CAPITOLINO u) Athenis inter alia Cereris templum adiit, ut se innocentem probaret, et sacrarium ingressus est. Verissime igitur CICERO x), mihi cum multa eximia, inquit, diuinaque videntur Athenae peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus: initiaque ut appellantur, ita reuera principia vitae cognouimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.

Iam vero huic legumlationis origini inuestigandae adhuc adificiendum est vnum, idque longe iucundissimum, cuius causa libellus ipse proponitur. Placuit nuper SERENISSIMO ELECTORI FRIDERICO AVGVSTO, LEGVMLATORI SAPIENTISSIMO, DOMINO INDVLGENTISSIMO, PATRI PATRIAE OPTIMO, in hac omnium artium schola per Viros Summos, quibus earum cura demandata est, elementissime me ornare Professione Iuris Extraordinaria. Cuius muneris delati initia cum more maiorum debeam auspiciari, verbis solennibus et publica gratiarum actione: summis precibus etiam atque etiam cupio RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, PRINCIPES CELSISSIMOS, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, COMMILITONES denique GENEROSISSIMOS AC PRAENOBILISSIMOS rogatos, ut proximo die Saturni hora ante meridiem nona in auditorio Iureconsultorum *de perversa iura et docendi et discendi ratione* me breuiter dicentem, simul etiam OPTIMI PRINCIPIS et eius AMICIS bene precantem audire velint ea et frequentia et benevolentia, quae mihi honorem hunc ornatiorem, laetitiam ex eo vberiore, bene merendi voluntatem prolixiore et cumulatiorum efficiat. P. P. in Vniuersitate Artium Lipsica die Dominica XIV. post Trinitatis anno a C. N. MDCCCLXXXII.

u) In vita, c. 27.

x) De legg. l. II. c. 14.


ULB Halle

3

005 361 494







9339

1782, 26.

DE
CERERE LEGIFERA

AD ORATIONEM
MVNERIS PROFESSORII ADEVNDI
CAVSA

D. VII. SEPT. A. R. S. MDCCCLXXXII
RECITANDAM ET AVDIENDAM
HUMANISSIME INVITAT

ID. AVG. CORNEL. STOCKMANN



LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBÆERORVM